

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2023-2024
À rendre pour le lundi 16 octobre 2023 (casier au DSA)

Version latine n°2 : une monnaie d'échange

Briséis, captive de guerre et amante d'Achille, a été confisquée par Agamemnon. Elle reproche à Achille son indifférence, puisque, tout à son ressentiment, il s'obstine à ne pas la réclamer.

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : crochets droits.

Ei mihi ! discedens oscula nulla dedi,
at lacrimas sine fine dedi rupique capillos ;
 infelix, iterum sum mihi uisa capi !
[Saepe ego decepto uolui custode reuerti,
 sed me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne, nocte, timebam,
 quamlibet ad Priami munus itura nurum.
Sed data sim, quia danda fui : tot noctibus absum
 nec repeto ; cessas iraque lenta tua est.
Ipse Menoetiades, tum cum tradebar, in aurem :
 « Quid fles ? hic paruo tempore, dixit, eris. »
Non repetisse parum : pugnas ne reddar, Achille !
 I nunc et cupidi nomen amantis habe !
Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati,
 ille gradu propior sanguinis, ille comes,
Laertaque satus, per quos comitata redirem.
 Auxerunt blandae grandia dona preces,
uiginti fuluos operoso ex aere lebetas,
 et tripodas septem pondere et arte pares ;
addita sunt illis auri bis quinque talenta,
 bis sex adsueti uincere semper equi,
quodque superuacuum est, forma praestante puellae
 Lesbides, euersa corpora capta domo,
cumque tot his (sed non opus est tibi coniuge) coniunx
 ex Agamemnoniis una puella tribus.
Sic tibi ab Atride pretio redimenda fuissem ;
 quae dare debueras, accipere illa negas !]
Qua merui culpa fieri tibi uilis, Achille ?
 Quo leuis a nobis tam cito fugit amor ?
An miseros tristis fortuna tenaciter urget,
 nec uenit inceptis mollior hora meis ?
Diruta Marte tuo Lyrnesia moenia uidi
 (et fueram patriae pars ego magna meae) ;
uidi consortes pariter generisque necisque

tres cecidisse (tribus, quae mihi, mater erat) ;
uidi, quantus erat, fusum tellure cruenta
pectora iactantem sanguinolenta uirum.
Tot tamen amissis te compensauimus unum ;
tu dominus, tu uir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, iuratus per numina matris aquosae,
utile dicebas ipse fuisse capi,
scilicet ut, quamuis ueniam dotata, repellas
et mecum fugias, quae tibi dantur, opes !

Ovide